

servatione, cum Pontifex pensionem reservat, & simul facultatem concedit, eam transferendi in aliam personam.

Secundo quoties fuit imposita pensio absque illa clausula, sed ipsa partes postea supplicat, ut pensio quam Cajus Titio solvit, extinguatur, & Sejo reservetur.

Tertio in vim privilegiorum certis personis concessorum; quale privilegium nonnullis Ordinibus concessum fuisse dicit Flaminius ibidem.

VI. Hanc pensionis translationem esse odiosissimam factentur omnes, teste Pyrrho Corrado loco citato num. 2. cum nec sit de jure, nec de ipsius pensionis natura; quinimo contra naturam: quandoquidem pensio reservetur ad tempus, & sic extinguatur morte Pensionarii. Translatio vero, cum sit obligatio eandem solvendi de una ad aliam personam, operatur perpetuitatem pensionis post mortem Pensionarii; atque ita servitutum Beneficiis impositam quodammodo perpetuam efficit: praesertim quia qui habent potestatem transferendi, possunt eam transferre non modo in unam personam, sed etiam in plures.

VII. De hac translatione pensionis agens Hieronymus Gigas 7. 12. postquam dixit, pensionem de una ad aliam personam transferri non posse, nisi Papa Pensionario jus transferendi illam concessisset, subjungit: "Nam solent Pontifices saepe numero concedere hujusmodi facultatem: quod passim Leo X. Pie memoriae faciebat utens multum Pontificia auctoritate & absolutam potestate in similibus. Clemens autem VII. difficiliter id concedebat, & erat bene factum propter oneris continuationem, quae est evitanda: ideo Sanctissimus D. N. Paulus IV. (ut audio) admodum se difficilem reddidit in concedendo talem facultatem, etiam cum consensu.

VIII. Addit Flaminius Parisius n. 24. "Tempore felicis recordationis Gregorii XIII. & S. D. N. Sixti V. vidi observari, ut nemini concedatur hujusmodi facultas transferendi pensionem nisi Cardinalibus, aut aliis personis de Sede Apostolica bene meritis; neque solet concedi ut talem possit transferre, sed tertiam vel medietatem.

Dein nonnullis interpositis, monet, quod hodie summi Pontifices non concedant in Italia, & se reddant difficiles in concedenda pensione cum facultate transferendi, etiam extra Italiam; & id solet peti (ait) ut possint remunerare familiares in articulo mortis.

IX. Translationes pensionis hic in Belgio fieri non videmus; neque eas usitatas credo: notandumque monet Rebuffus in Praxi parte 1. titulo De Resignationibus num. 20. "in hoc Regno Francia pensionem extinguere per mortem Pensionarii, & de consuetudine non transfertur in aliam personam, etiam a Papa, quamvis in patria obedientiae a Papa transferri possit sicut aliud Beneficium.

De eadem consuetudine Regni Galliae passim testantur Pragmatici, uti videre ex apud Broudaem ad Lovetium Litt. P. num. 31.

X. Notat insuper Rebuffus De Pacificis possess. n. 127. quod "non valeret reservatio pensionis, si quis permutaret Beneficium mecum, & assignaret mihi pensionem super alio Beneficio, quam permutato; & hoc (ait) servatur in fortis judicio in hoc Francia Regno, licet de jure secus.

XI. Recte monet Rebuffus, illud specialiter servari in Regno Galliae (cui praxis Belgii conformis esse videtur) nam de stylo Curiae Romanae, si Beneficium quod resignatur, incapax sit pensionis, vel non totam capiat, reservari consuevit pensio ipsa, etiam super fructibus alterius Beneficii, quod obtinet Resignatarius; vel saltem una pars super Beneficio resignato, & altera super alio Beneficio, & aliquando super Beneficio tertii. Ita Pyrrhus Corradus in praxi Beneficiorum lib. 5. cap. 2. num. 14. ubi pluribus de hujusmodi pensionis reservatione, ejusque praxi agit.

XII. Tractat quoque ibidem cap. 3. de pensionis reservatione, quae dicitur de consensu, seu ex causa lucrativa;

quae ita vocatur, dum pensio de consensu Titularis reservatur Apostolica auctoritate, consanguineo, affini vel amico &c. super fructibus Beneficii.

Formulam supplicationis pro reservatione hujusmodi pensionis ibidem integram exhibet, ejusdem clausulis praecipuas exponens; dicitque n. 4. "Illud in hac praxi non oscitanter advertendum, quod hujusmodi pensionum reservationes semper ferè in Dataria Apostolica fuerint habitae pro fraudulentis; unde non semel in ea vidimus (ait) supplicationes ad id porrectas rejici, sive ad favorem consanguineorum Titularis, sive aliorum quorumcumque." Rationes, ob quas merito ut suspecta habeantur hae reservationes, ibidem subjungit.

XIII. Belgium hujusmodi reservationes pensionum non novit: nec eas in Gallia admitti ex haecenus dictis sat manifestum est; quandoquidem ibi pro regula & quasi lege invaluerit, quod pensio constitui non possit, etiam per Papam & de consensu Titularis, ad commodum ejus, qui nullum habet vel praetendit jus in Beneficio.

XIV. Quandoquidem pensio sit dumtaxat onus aliquod adimplere cuiusdam servitutus Beneficio impositae, ratione cuius ipse Titularis tenetur pensionem annuam Pensionario persolvere, ex omnium Canonistarum sententia, & notoria praxi, extinguatur pensio per liberam & absolutam ipsius Pensionarii remissionem sive renuntiationem.

XV. Potest haec remissio fieri sine auctoritate Papae aut cuiusvis alterius; tamen pensio per Papam esset reservata; uti monet Pyrrhus Corradus loco citato cap. 4. & late Gigas De pensionibus 7. 45. idque licet expresse reservata esset pro alimentis ad commodiorem sustentationem; quemadmodum hodierna pensiones de stylo Curiae reservari solent. Garcias de Beneficiis parte 1. cap. 5. num. 40.

XVI. Hodie frequentissima, & ordinaria pensionis redemptio est, quae fit anticipatis aliquot annuis solutionibus ipsius pensionis, uti monet Joannes Torneius in collectione arretorum lib. P. num. 93.

XVII. Et haec pensionis extinctio seu remissio fieri consuevit coram Pontifice ejusque auctoritate, uti notat post Garciam Pyrrhus Corradus in Praxi Benefic. lib. 5. capite 4. qui & ibidem exhibet formulam supplicationis & Signaturae super extinctione sive cassatione pensionis.

In supplicatione primo exponit Supplicans seu Orator, quod sibi certa pensio auctoritate Apostolica super fructibus Beneficii N. reservata fuerit, ac tum subjungit: "Ex certis causis animum suum moventibus cassationi, extinctioni & annullationi dictae pensionis annuae, illiusque reservationi hujusmodi in S. V. manibus sponte, & libere, nonnullis tamen anticipatis, seu anticipandis solutionibus & non aliis nec alio modo consentire proponat, & ex nunc etiam consentiat. Supplicat igitur &c.

XVIII. Dicitur indeterminata, anticipatis seu anticipandis nonnullorum dictae pensionis terminorum solutionibus: nam uti advertit Torneius in collectione arretorum num. 93. haec anticipatio diversimode non determinatur: nam nunc quatuor nunc quinque vel sex, interdum etiam septem terminorum anticipationes fiunt. In his enim certa regula non est. Verba Torneii sunt: "Pour à la quelle extinction en rachapt parvenir on baille ordinairement par forme d'avance, on anticipation quelques années de la pension diversement limitées: tantost 4. 5. 6. ou au plus 7. années. Mais en cela il ny a regle certaine, ny assurée: comme dependant de l'âge, qualité, disposition, & vocation, tant de celui qui reçoit, qui de l'autre payant de la pension. Id est: Ad quam redemptione extinguendam, ante tempus & ad modum anticipationis solent persolvi aliquot anni pensionis diversimode limitati, modo 4. 5. 6. aut ad ut summum 7. anni. Verum in similibus nulla certa aut fixa regula est, utpote pendente ab aetate, qualitate, dispositione & voluntate tam ejus qui recipit, quam qui persolvit pensionem.

XIX. De

XIX. Deinde adjungit: "Toute fois dedans la Signature qui s'en delivre, & procure expedie pour cet effect, il n'est parlé de la convention de prix: car cela impliquerait simonie. Id est: Tamen in chirographo quod traditur, aut procuracione in eum finem constituta, nulla conventio de pretio fit mentio; hoc enim Simoniam involveret.

XX. Verum anticipatae solutiones Terminorum ita constitui solent, ut justum pretium seu capitale annuae pensionis solvatur, ad eum pene modum, quo similis quantitas annui reditus vitalitatis redemptio fieret ut notat Torneius: atque hoc pacto fit, ut ipse Pensionarius mediante hac redemptione, aequè ex Beneficio resignato notabilem pecuniam summam consequatur, quam si de una summa determinata conventum fuisset.

XXI. Hinc qui mediante hac redemptione pro resignato Beneficio aliquot centenos, aut etiam millia florenorum accipit, saepe quidem in oculis hominum subtilis & honestus mercari videtur, quam qui cum Resignatario de una & certa pecuniae summa convenit: at verendum est, ne in oculis ejus, cui omnia nuda & aperta sunt, non minus saepe culpabilis & Simoniacus habeatur. Quin & vulgus, qui seposita hac inter determinatam summam pecuniae, & anticipatas terminorum annuae pensionis solutiones distinctione, simplici, & vulgari modo de his judicat, solet hujusmodi Pensionarios & Resignantes aequè pro Beneficiorum venditoribus habere, quam si determinatam summam pecuniae pro Beneficio accepissent.

XXII. Adhuc, si attendamus profanum modum, quo haec anticipata terminorum solutiones determinantur, non secus atque redituum temporalium redemptiones: & quomodo saepissime, si non expresse, saltem tacite super pensionis redemptione conveniatur; eumque in finem sollicitè quarantur Resignatarii, qui sciuntur sufficientes, ut pensionem multis anticipatis solutionibus redimant. Fateri cogemur, raro has pensionum redemptiones à Simonia esse immunes; tamen nullius determinati & conventi pretii in supplica aut Signaturae mentio fiat.

XXIII. Faturque ipse Gigas De Pensionibus quest. 37. quod "Renuntiantes Beneficia ea intentione, ut tibi reservetur pensio demum extinguenda pro certis anticipatis solutionibus; & ita pacifices procul du-

bio Simoniam committant, cum dent temporale pro spirituali.

XXIV. In Signatura super extinctione aut cassatione pensionis apponi solet haec clausula: quod sola praesentis supplicationis Signatura sufficiat, & ubique fides faciat in judicio & extra regulam contraria non obstante.

XXV. Ratio hujus styli communiter refunditur in favorem extinctionis pensionum. Indubie favorabile est, Beneficia odiosis illis hodiernis pensionibus non gravari; sed eas extinguere seu redimi per summas anticipatas solutiones, quae re ipsa pretium quoddam Beneficii conficiunt, ipsa pensione odiosius est.

XXVI. Et si has pensionum redemptiones, quae sub specioso titulo anticipatarum solutionum fieri consueverunt, sepositis praedictis, quae ex communi praxi ingeruntur, expendamus, reperiemus eas vix aut ne vix quidem à formali venditione & emptione Beneficiorum distingui: & consequenter auctoritate Superiorum à Simonia difficulter purgandas.

Quid enim interest, uti supra monuimus, num certa summa pecuniae detur per modum pretii, an verò eadem detur sub nomine anticipatarum solutionum? nisi Simoniam non in re, sed in verbis sitam esse dicamus.

Unde & has pensionis redemptiones magis odiosas, magisque de Simonia suspectas esse, quam ipsasmet pensiones, dubitari nequit.

Quod enim alicui pauperi Parocho de Ecclesia bene merito, & amplius laborare non valentibus aliqua pensio alimentaria assignetur, nullatenus sanè improbari potest; neque speciem mali ingerit: sed quod Resignanti Beneficium aliquot millium florenorum summa numeretur, indubie venditionem & emptionem Beneficii sapit; quocumque tandem praetextu coheretur.

XXVII. Quare etiam in Canonibus & Patribus aliqua pensionum exempla reperiamus, nullum tamen hujusmodi redemptionis veligium, nequidem in libris nostri Juris Canonici occurrit; ita ut admodum verisimile sit hanc redimendi praxim labentis disciplinae factum esse, qui non nisi ad palliandam venditionem & emptionem Beneficiorum servire consuevit: idque non sine summo Fidelium scandalo, qui hujusmodi redemptiones, non nisi veras Beneficiorum nundinationes reputant.

TITULUS XXIX.

De Unionibus Beneficiorum.

CAPUT I.

De Varia Specie Unionis, & quorum auctoritate facienda?

1. Quid Unio Beneficiorum.
2. Varia species unionum; & quare harum conveniens notitia.
3. Unio alia perpetua, alia ad vitam; & hujus descriptio.
4. Unio ad vitam non est proprie unio; sed pallium pluralitatis Beneficiorum.
5. Non admittitur in Gallia aut Belgio.
6. Unio perpetua quae?
7. Per hanc interdum duo Beneficia in unum conflantur.
8. In hac unione jura & privilegia Ecclesiarum unitarum conservantur.
9. Unio per suppressionem potius est extinctio Beneficii, quam unio: & qui hujus effectus.

ficii, quam unio: & qui hujus effectus.

10. Quomodo fiat unio accessoria;
11. In hac unione Beneficium unitum est maius principale; nec in impetratione exprimi debet.
12. Unio quando fiat aequè principaliter?
13. Beneficia unita debent in impetratione exprimi, & in omnibus manent in suo statu.
14. Quomodo dignosci possit species unionis.
15. Clausula unionis praeservans exsolutionem onerum Beneficii uniti.
16. Onera censentur praeservata quatenus cum unione consistere possunt.
17. Unio Beneficiorum auctoritate Superioris facienda.
18. Unio Beneficiorum consistorialium hodie Sedi Apostolicae reservata.
19. De jure Episcopo competit unio Beneficiorum sua Diocesis.
20. Etiam si essent ad Pontificem ob neglectam collationem devoluta.

